



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

SS. Marcellinus & Petrus MM. 2. Iunii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

tamen non antè deseruit, quàm illum  
 cæli Imperator evocaret an.M.XXXV.  
 Corpus ejus exanime prodigioso sudo-  
 re immaduit. Quis arduam neget ad  
 cælum viam, in quâ etiam hi cursores,  
 & quidem post mortē, sudant? *Ex Swr.*

SS. MARCELLINVS & PETRVS  
 MM. 2.Iunii.

**N**ihil agis impietas; Christi servus  
 etiam inter vincula liber est, insultabat  
 Arthemius PETRO compedibus  
 operato, experiretur Dei sui vires, &  
 rumpere catenarum nexum, si tantum  
 in IESV nomine confideret. PETRVS  
 non id modò præstitit, sed Paulinam  
 insuper ejus filiam diaboli mancipium,  
 expulso improbissimo tyranno, in li-  
 bertatem asseruit, unaque Arthemio  
 persuasit, Deo antea subannato, cum  
 omnibus carceris incolis, sacramentum  
 dicere. MARCELLINVS, qui eos  
 Christiano ritu abluerat, nudus vitri  
 fragmentis impositus, non antè quàm  
 ab Angelo jussus, ex illo se lecto pro-  
 ripuit, & cælesti veste excultus cum  
 PETRO, quem idem Angelus cippo  
 exemerat, Christianorum se cœtui red-  
 didit; quibus animandis cum septem  
 ipsos dies impendisset, pleno tandem  
 agmine Arthemium cum uxore & filiâ  
 ad supplicium euntes comitatus est.  
 Ipsi denique in silvâ, cui Nigræ cogno-  
 mentum

V mentum

mentum fuit, inter senticeta, capite  
plexi sunt. Nihilominus vel invito ty-  
ranno, abscondi inter spinas lilia non  
potuerunt, & sanctitatis odor rubentes  
suo sanguine rosas prodidit. Lucilla &  
Firmina castis illas manibus legerunt,  
& in cominuni SS. Martyrum viridario  
collocarunt. Silvae quoque nomen im-  
mutatum est; pro Nigra, candida post-  
hac audit. Esto, & tu liliū inter orbis  
spinas, & cæli candidatum te appella-  
bo. *Ex Surio.*

S. NICOLAUS STAVROPHORUS

2. Iunii.

**A**Ltius in animū NICOLAUS verba  
CHRISTI demisit, quam nos pas-  
sim solemus. Vix enim illa audierat,  
quibus ad fortiter ferendū Crucē mor-  
tales extimulat, cum illico melioris for-  
tunæ, si quisquam alius, sibi ipse faber  
cruce[m] ingentē paravit, & cum hac in  
annū CHRISTI M. LXXXVIII. in Ita-  
liam venit. Ibi excalceatus, & pannis  
obsitus pueros cogere; dux his ad tem-  
plum esse; solemnia, quibus misericor-  
diam Numinis provocamus, verba præ-  
ire; ante solis occasum nihil in victum  
admittere; sed & tunc non nisi pane  
cibario famem, & undā sitim domare;  
à precibus intereā nunquam desistere;  
Cruce[m], quam nos ultro abicimus,  
nunquam deponere. Visum est hoc ge-  
nus